



Forum Ecclesiasticum

In Quo Jus Canonicum Universum, Librorum Ac Titulorum Ordine Per Quæstiones Et Responsa, Tam Canonistarum Veterum & Recentiorum, quàm Legistarum, in iis, quæ Utrique Juri, Canonico Et Civili Communia Sunt, Authoritate stabilita, Methodo clara & facili explanantur

Leuren, Peter

Moguntiae, 1719

Quæst. 565. Quid circa donationes faciendas possint tutores, curatores, administratores, procuratores.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73957](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73957)

quo quodammodo merces vel compensatio requiritur, ex quo extraneus, si id in aliquem contulisset, jus agendi & retinendi haberet. V. gr. si filius patrem eripuisse ex manibus latronum vel hostium, Unde non incongrue dicit. Hahn. *h. t. n. 4.* filium hoc casu pro extraneo haberi. Ac proinde ad hanc donationem remuneratorem, ut locum habeat, tria requiri; nimirum ut benemerita non sint obsequialia, sed artificialia, ut æquivalent rei donatæ, ut à filio probentur.

Resp. quarto: Mater (idem est de avia & avo materno) tam liberis emancipatis quam non emancipatis seu constitutis sub patria potestate valide potest donare, intellige, de bonis, de quibus aliàs donare potest; quia in ea cessat ratio prohibitionis, quæ est in patre; cum, ut dicitur §. 10. *Inst. de adopt. liberis* in sua potestate non habet & ita tenet. Gomez. *L. 2. resol. 4. in fine.* Molin. *Tom. 2. d. 291.* Lessi. *l. c. n. 90.* Laym. *l. c. n. 12. in fine.*

Quæst. 565. Quid circa donationes faciendas possint tutores, curatores, administratores, procuratores.

Resp. Tutores & curatores, etsi magnam habeant autoritatem & potestatem; hæc tamen eorum potestas purè administratoria facultatem donandi non involvit. *L. 28. §. fin. de pactis.* neque enim est ad perdendum (quale quid est donare, *L. 27. h. t.*) sed ad utilitatem suorum pupillorum & minorum procurandam. Unde de bonis, quæ administrant, donare non possunt; estque hæc ab illis facta donatio ipso jure nulla, *L. 22. §. 46. §. fin. ff. §. L. 16. c. eod. de administ. & peric. tutor.* nisi id specialiter iis concessum. *L. 7. ff. h. t.* Possunt tamen pro facultatibus & dignitate suorum pupillorum seu principalium facere donationes remuneratorias pro meritis & servitiis præstitis suis principalibus. *L. 12. §. 13. ff. de administ. tutor.* uti etiam aliàs, ubi suaderet eorum necessitas aut insignis utilitas. Lauterb. *h. t. §. 21.* citatis iisdem *LL.* & remittens ad Carpz. *t. 5. p. 2. c. 11. def. 48.* late de hoc agentem. Laym. *l. c. n. 8.* citatis Mol. Medin. Sa. Idem est de procuratoribus speciali ad hoc mandato destitutis ex eadem ratione. Arg. *L. 7. ff. h. t.* Item de administratoribus civitatum aliarumque communitarum. Muller. *h. t. cit. th. 7. tit. 9.* cum ei, cui competit administratio, quando prohibitum est donare, non censeatur prohibita donationes remuneratoriæ, modo sint commensurate meritis & obsequiis; cum talis donatio, utpote compensatio beneficii præcedentis, non sit propriè donatio. Laym. *l. c. n. 9. in fine.*

Quæst. 566. Quid circa donationes possint Prælati & Rectores ecclesiarum.

1. Resp. Episcopi aliique Prælati & Rectores, tam seculares quam regulares ecclesiarum, collegiorum, monasteriorum de bonis & redditibus eorum non possunt facere donationes merè liberalitatis in magna quantitate. Responso sic restricta est communis & certa, constatque ex *c. 2. h. t.* ubi etiam ratio hujus decisionis insinuat. Tametsi enim generalem & liberam administrationem bonorum & proventuum ecclesiasticorum habeant, ut eos, tum ad augmentum divini cultus, tum ad suam & capituli seu conventus sustentationem, aut etiam ad pauperes alendos fideliter erogent juxta *c. nulla. caus. 18. q. 2.* non possunt tamen simpliciter libere de iis disponere; cum non sint eorum domini; adeoque libera talis eorum donatio, utpote

rei alienæ, est nulla, à successore eorum aut etiam ab ipsis, quamdiu non sunt ab administratione amoti, revocanda, ut patet ex *c. si quis. de reb. eccles. non alien. junctâ Gl. v. prospexerint & v. alienata. & c. c. 2. & ibi Abb. n. 3. Pirh. h. t. n. 8. in fine.* cum communi. Pro declaratione tamen & limitatione responsonis servient sequentia.

Sermo itaque in *curato cap.* est primò de donationibus ex bonis & redditibus ecclesiarum, seu ad ipsas ecclesias pertinentibus. Nam si ipsi aliqua bona aut redditus separatos à cæteris ecclesiæ vel conventus redditibus, specialiter eorum mensæ & honestæ sustentationi deputatos habeant, posse illos ex iis indistinctè liberas donationes facere, extra controversiam est, notatque Laym. *h. t. n. 8. §. loc. mox citand. th. 109.* & dicitur de eo *tit. seq.* nisi tamen etiam tales donationes immodicæ cederent in damnum ecclesiæ; ut dum ea dilapidatis per illas profusas donationes bonis mensæ suæ, cogeretur de privativè ad se spectantibus redditibus ad eorum decentem sustentationem succurrere.

2. Secundò de donationibus magnis & immodicis. Nam prælatum, etiam regularem de ipsis bonis ecclesiæ suæ, quæ administrat, facere posse donationes modicas & moderatas (quales quamvis dicantur viri prudentis arbitrio, consideratis reddituum ecclesiæ abundantia & penuria, qualitate donantis & donatarii aliisque circumstantiis æstimari debet. Redoanus *tr. de reb. eccles. alien. q. 52. n. 77.* Laym. *in dis. can. de reb. eccl. alien. §. 8. de donat. th. 114.* Pirh. *h. t. n. 13. §. 14.* qui etiam *n. 15. in fine.* ex Molin. *d. 144. n. 20.* addit, quòd ut Prælatum censeatur mortaliter peccare, faciendo donationes liberales immodicas, esse respiciendum ad redditus beneficiale unius anni, ita ut v. gr. Episcopus, habeat annuè in redditibus decem millia, non censeatur immodicè donare, si donet 500.) etiam merè liberales, cum consensu capituli, vel etiam sine illo, pro ut fert consuetudo. Sumitur ex *c. 3. h. t. & ibi tradit Abb. n. 7. Barbof. num. 2.* Videturque id ipsum esse de consuetudine omnium ferè ecclesiarum, ut Pirh. *n. 14.* Spectareque ad liberam eorum administrationem, quæ etiam, ut idem, continet majorem aliquam quo ad hoc facultatem, quam administratio totorum. Quin & conferre videtur ad ecclesiæ utilitatem, dum per hujusmodi liberalitatis moderatæ demonstrationem non solum vitatur avaritiæ suspicio, sed etiam conservetur bona existimatio & hominum benevolentia. Laym. *Pirh. LL. cit.* Unde etiam posse Prælatum tales donationes modicas facere ex rebus mobilibus ecclesiæ, ubi non est talis consuetudo eas faciendi, Arg. *cit. c. 2. h. t.* cum *gl. ibidem. v. graves.* astringunt Imol. *in c. 3. h. t.* Rodoan. *l. cit. num. 61.* Pirh. *h. t. num. 14.* modo tamen per ejusmodi modicas donationes justo sæpius repetitas graviter non lædatur ecclesiæ, ut cum eadem *Gl. Reiffentl. h. t. n. 36.*

3. Tertio de donationibus, quæ nullo titulo aut causa, sed merè liberalitatis nituntur: nam potest Episcopus aliisque Prælati, etiam absque consensu Capituli & requisitis aliis solemnitatibus, ex redditibus ecclesiæ facere donationes (etiam largas, modo non nimis profusas) non merè liberales, sed ob causam. V. gr. pietatis & misericordiæ, seu titulo elemosynæ; adeoque ex quadam necessitate & obligatione; cum etiam tutor ex tali causâ ex rebus pupilli donare possit. Suar. *Tom. 4. de Reliq. L. 2. c. 26. n. 12. §. 13.* Laym. *l. c. th. 111.* Pirh. *h. t. n. 9. Arg. c. 1. h. t.* Sic quoque potest Episcopus